



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

63. An Confessarius incidat in Bullas Pontificias, si sollicitet foeminam in aliis Sacramentis, Baptismi, Matrimonij, &c? Ex. p. 4. tr. 5. res. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

nal. quæst. 60. vers. Solet dubitari. Iacob. de Graff. in suis decis. lib. 2. cap. 64. n. 11. vers. Sed an excusetur à pena homicidij. Fatimicus de pœnit. temp. 9. 97. casu 1. n. 23. sed Confessarius in hoc casu metu delinquit, ut supponitur: ergo &c. Vnde puto talem Confessarium non debere abjurare. Et hæc omnia mecum docet Antonius Soula, *Opus de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 17. num. 9. & 10.* Quare, nec sequor sententiam Carenæ, nec Ianuarij, sed mediam; quam olim docui in loco citato à Ianuario, & Leandro.

RESOL. LXI.

An si pœnitens sollicitetur ad fornicandum, & Confessarius renuat, contentus tamen osculis, vel tactibus, sit denunciandus?

Et quid de alijs similibus, v.g. si femina provocat Confessarium ad sodomitum, ipse vero ad naturalem congressum incitaret, vel si femina sollicitaret ad fornicandum, ipse autem ad molliem, vel è contra?

Et an si femina Confessarium sollicitasset, postea vero dolore tacta pœniteat, ut absolutionem petat, Confessarius tamen sollicitet illam, an in tali casu Confessarius sit denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 13.

§. 1. **N**egative responder doctus Castrus Palaus *tract. 4. disp. 9. punct. 5. num. 4.* quia quando Confessarius requirit congressum volens se tactibus tantum delectari, non censetur sollicitare ad malum, sed sollicitationi facta à femina consentire, femina enim inducens ad congressum, tacite & in virtute inducit ad oscula, & tactus, utpote pravia ad illum, eaque de causa manifestato congressu in confessione nulla est obligatio confitendi tactus & oscula: ergo Confessarius suadens solum tactus, renuens ulterius prosequi, non persuadet feminam ad congressum sollicitantem aliquid malum, ad quod ipsa non induxerit, imò si bene perpendatur, solum persuadet feminam ut contenta sit sollicitatione ad tactus & oscula, neque ultra velit procedere. Hæc omnia Castrus.

2. Sed contrariam sententiam docuit Ioan. Sancius in *selectis disp. 11. num. 28.* ubi sic asserit: Si femina ad actum naturalem Veneris instiget, Confessarius tamen illum renuat, intendens solum tactibus se oblectare, & ad eos solos provocet, tunc denunciandus erit Confessarius, cum tam à copula, quam ab osculis, & tactibus avertere posset feminam. Sic ille, qui multas rationes adducit pro hac firmanda opinione. Certum est etiam in utraque sententia, quòd si femina provocaret, v.g. Confessarium ad sodomitum, ipse vero ad naturalem congressum incitaret, vel si femina sollicitaret ad fornicationem, ipse autem ad molliem, vel è contra, certum quidem est Confessarium in tali casu fore denunciandum, quia sollicitavit feminam ad malum, ad quod non fuit ab illa inductum.

3. Notandum est etiam hic obiter quòd si femina Confessarium sollicitasset, postea vero dolore tacta pœniteat, ut absolutionem petat, Confessarius tamen sollicitet, erit utique in tali casu Confessarius denunciandus, quia postquam femina cessavit à sollicitatione, in illo statu est constituta ac si nunquam sollicitasset: ergo tunc sollicitatio facta à Confessario non potest dici continuatio femineæ sollicitationis, sed nova sollicitatio ex parte ipsius Confessarij.

RESOL. LXII.

An quando Confessarius, & femina ad invicem sollicitant, sit in tali casu Confessarius denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. Refol. 14.

§. 1. **R**esponder Sancius in *selectis disp. 11. num. 26.* Acugna de *Confess. sollicit. quæst. 11. num. 1.* Castrus Palaus *tract. 4. disp. 9. punct. 5. num. 4.* Peyrinus in *privileg. Minim. tom. 2. confit. 4.* Gregor. XV. §. 3. numero 10. & alij; quòd si ad invicem fiat sollicitatio, à femina primò, à Confessario deinde, ita ut mutuo se pelliciant, non fore denunciandum Confessarium, quia illa non est provocatio ex parte Confessarij, sed in provocationem factam consentire, & illam continuare.

2. Sed hodie hoc non procedit stante Bulla Gregor. XV. & in terminis aliarum constitutionum, quando Confessarius, & pœnitens simul ad invicem se sollicitant, nam in tali casu dicendum est Confessione contra Bullas delinquere, & ita docet Soula in *aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 11.* & Freitas in *editione novissima de Confess. sollicit. quæst. 11. num. 35.* qui citat Soulam in alio loco, nempe in *opusc. de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 6. num. 9.* ubi sic ait: Si Confessarius, & pœnitens simul & ad invicem, sese provocent, dicendum est Confessione in decretum delinquere; & ratio est, quia Confessarius in simili eventu fuit verè sollicitator, animùmque impudicum actum exteriori patefecit, nec ut faceret provocatus fuit ab incontinente femina, cum non ideo sollicitavit, quia sollicitatus fuerit, atque adeò sollicitatio femineæ per accidens se habuit ad sollicitationem Confessarij, ex quo sequitur nullo modo excusari posse Confessarium, qui postquam feminam provocavit, novit se ab illa sollicitandum fore, quia hoc etiam per accidens est. Ita Soula, & ego.

RESOL. LXIII.

An Confessarius incadat in Bullas Pontificias, si sollicitet feminam in alijs Sacramentis Baptismi, Matrimonij, &c. Ex p. 4. tr. 5. Ref. 16.

§. 1. **R**espondeo negative cum Lezana in *summa quæst. Regular. cap. 19. num. 34.* Sanctio in *selectis disp. 11. num. 42.* Acugna *quæst. 16. num. 6.* & ibi Freitas *num. 10.* Castr. Palao *tract. 4. disp. 9. punct. 1. num. 4.* Sanctarello de *hæres. disp. 46. dub. unic. num. 5.* Peregrino in *constitut. Cleric. Regular. part. 1. cap. 5. lit. M.* Martino Bonacina in *pract. var. disp. 6. punct. 3. num. 7.* Laurentio de Peyrinis in *privileg. Minim. tom. 2. confit. 4.* Gregor. XV. §. 5. num. 17. & alijs, nam in omnibus constitutionibus Pontificum fit mentio tantum de Sacramento Pœnitentiæ. Deinde rarissimè occurrat, ut in alijs Sacramentis Confessarius sollicitet feminas, quod facilius accipit in Sacramento Pœnitentiæ, & ideo Pontifices in suis Bullis intenderunt obviare abusibus, qui in dicto Sacramento Pœnitentiæ frequentius, & commodius fieri possunt, cum in illo femineæ suæ peccata carnalia manifestant, & inclinationem ad ea, unde facile potest Confessarius firmere occasionem sollicitandi pœnitentes ad turpia, quod, ut dictum est, non accidit in administratione aliorum Sacramentorum, & ita hanc sententiam docet iterum Freitas ubi *suprà* in *editione novissima n. 11.* & seq. reprobans Mouram *opusc. 1. de incantat. sect. 3. cap. 3. num. 17.*